C re. Iidem radice urticæ addito ſale, infixa corpori extrahi. Foliſs cum axungia ſtrumas diſcuti, uel ſi ſuppurauerint, erodi compleriq;.

EX RECENTIORIBVS.

Recentiores hac inerti Vrtica utuntur ſiſtendo ruentis è naribus ſanguinis impetu, imæ ceruici uel ſcapulis alligando, inde ſperant in aduerſum trahi cruoris manantis impetum. Vlceribus denique, putredinibus & fiſtulis mirificè conferre, ac mederi tradunt.

DE LINO. CAP. CLXXVII.

NOMINA.

LINON Græcis, Linum Latinis & officinis, Germanis Lein / oder Flachß appellatur.

FORMA.

Herba eſt tenui caule, foliis anguſtis, oblongis, & in ſummo acuminatis, floribus cœruleis, ſpecioſis, quibus decidentibus folliculus enaſcitur in quo ſemina continentur fulua.

LOCVS.

Linum agris noxium. Gaudet pingui ſolo & modicè humido. Agris autem noxiũ eſt, deteriores enim eos facit, id quod iſs carminibus in Georgicis ſignificauit Virgilius:

Vrit enim lini campum ſeges, urit auenæ,
Vrunt letheo perfuſa papauera ſomno.

TEMPVS.

Vellitur æſtate ubi maturitatẽ conſecutum fuerit, quæ ſanè duobus argumentis
D intelligitur, intumeſcente ſemine, uel flaueſcente colore.

TEMPERAMENTVM.

Eſt in primo ordine calidũ, ac humiditatis & ſiccitatis quodãmodo in medio ſitũ.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Semen Lini eandem Fœnogræco facultatem obtinet. Omnem intus foriſq; inflammationem diſcutit & emollit, cum melle, oleo, exiguaq; aqua decoctum, aut melle cocto exceptũ. Vitia cutis in facie crudum, uarosq; cum nitro & ficu illitum. Cum lixiuia autem parotidas, duritiesq; diſcutit. Herpetas in uino decoctũ, & fauos purgat. Vngues ſcabros cum pari modo Naſturtij & mellis eximit. Cum melle uice eclegmatis ſumptum, ea quæ in thorace ſunt educit. Tuſsim lenit. Venerem ſtimulat ſi cum melle & pipere mixtũ pro placenta largius ſumatur. Huius decoctũ inteſtinorum uteriq; eroſionibus iniectum medetur, adq; excrementorũ eductionem prodeſt. Ad uuluæ inflammationes in deſeſsionibus haud aliter quàm Fœni-græci perquam utile eſt.

EX GALENO.

Lini ſemen eſum flatuoſum eſt, etiamſi frigatur, adeò ſanè excrementitia humiditate plenum eſt. Viſceribus tamen quę circa hypochondria ſunt, ut ſi quid aliud, gratum exiſtit. Quidam hoc toſto inſtar obſonij non ſecus ac factitio ſale cum garo utuntur. In uſu eſt & melle conſperſum. Inſerunt nonnulli panibus quoque. Stomacho & concoctioni repugnat. Tenuiter corpus alit. Quod ſpectat ad deiectionem, nec laudandum, nec uituperandum, perexiguam tamen uim mouendæ urinæ tenet, quæ in toſto efficacior eſt. Idem quoque aluum magis ſiſtit. Ruſtici ſæpenumero torrefacto adiecta portione mellis utuntur.

EX PLINIO.

Lini ſemen cum aliis quidem in uſu eſt. Et per ſe mulierum cutis uitia emendat in facie. Oculorum aciem ſucco adiuuat. Epiphoras cum thure & aqua, aut cum myrrha. Cum uino ſedat parotidas. Cum melle, aut adipe, aut cera, ſtomachi ſolutiones

LINVM